

flueret, omnesque influeret. Fluore ergo opus corpora habuerunt, ut præter trinam dimensionem renitentiam aliquam acquirerent; et naturalia ob hanc evaderent. Qui quidem fluor ita esset in se dispositus, ut et densari, et rarescere. Et in se cogi posset, et concrescere, et iterum in fluorem fundi. Ex eoque summus Conditor, omnium generum corpora formari posse voluit. Ut mundum hunc finitum, et infinitum, omnibus ornatum ornamentis conspiceremus. Concludendum igitur, fluorem primæum, quantum esse corporum omnium principium, atque intrinsecus omnibus inesse, veluti elementum. Totam hanc disputationem de primævis quatuor corporum, vel principiis, vel elementis, in hunc modum concludamus corpora omnia, quæ vel ratio, vel sensus nobis ostendunt: quatuor hisce, intrinsecis constant. Spacio, lumine, calore, fluore. Spacio quidem quia non nisi spacio confiunt, neque sine spaciis tribus illis, vel ab initio constiterunt, vel modo, aut fieri, aut constitui, aut consistere possunt. Omnia autem naturalia corpora, antitypia aliqua debent esse prædicta, si naturalia sunt vocanda. Antitypam autem hanc a fluore necessario habent. Non enim a lumine, neque a calore. Duo vero hæc, quid corporibus præstant? Quidue in corpora operantur? Lumen quidem caloris est vehiculum. Calor vero corporibus, et constitutionem præbet, et essentiam conficit, et vires indit, et actiones tum in se agitat, tum extra se egerit, et vitam propriam exercet. Sine enim calore, corpus naturale non fieret; Neque fluor flueret, neque fluor in se densaretur, neque in se vel cogeretur, vel concresceret, neque rursus funderetur. Neque corpus ullum, aut solidum, aut liquidum, sine calore, aut factum est unquam, aut fieri potuit, aut potest. Ubi cumque igitur est fluor, ibi etiam est calor. Ubi calor, ibi a lumine est vectus; et hæc omnia in spacio concurrunt; et in omnibus corporibus, ita sunt, ut sine eis omnibus, nullum corpus, aut, ab initio rerum constitut; aut nunc constare potest, aut in posterum gigni, aut consistere est possibile. Merito igitur, quatuor hæc, primæva sunt, corporum omnium intrinseca principia, et elementa.

Finis Sexti libri Pancosmiæ.

ANNOTATIO R. P. M. IACOBI DE LUGO.

Decepti sunt, nonnulli antiqui philosophi opinantes gradatim a Deo processisse res creatas, si ab eo processerit prima creatura, quæ induxit aliam et sic inde usque ad creaturam corpoream. Ait enim, in hoc libro sumam faciens dictorum in aliis sui libris. A Deo procul dubio, et a Deo iis modis quos ante aperuimus omnia entia prodierunt per medias suas unitates atque ideas, per essentias, per vitas, per mentes, et per animos satis superque ostensum est, quod falsum est, cum omnia immediate producta sint in prima rerum productione? Ut bene Moises in primo capite libri Genesis enarravit. Universa enim et incorpora et corpora proxime sunt a Deo creata: Qui fecit cœlum, et terram, mare, et omnia que in eis, ait psalmus.